

ut non possit non durare, sicut etiam existentia DEI & ipsius substantia, quia ita existit, ut non possit non existere; at vero sic duratio non competit ipsis creaturis, ut creaturae non possint non existere, sed contingenter existunt. Secundum quod attinet: respondet ad illud Morisani Disp. 6. q. 1. His verbis: *nego consequ. quia sic etiam potest separari creatio à conservatione, ut in casu proposito, cum tamen sola ratione distinguantur. Unde argumentum tantum probat distingui ratione saltem, neque propriè existentia potest separari à duratione tantum, & seorsim reperiri, sicuti animal non potest separari ab homine, quia homo essentialiter includit animal, scilicet sibi identificatum, sed potest seorsim reperiri scilicet in equo. Unde talis separatio non est signum distinctionis realis.* Fundamentum hujus responsionis nititur canone illo in Schola Dialecticorum receptissimo: Genus à specie sua non realiter differt: cum E. existentia ad durationem per modum generis se habeat, ut supra vidimus, negandum est, quod haec duo à se invicem differant realiter. Dicis: Existentia nihilominus potest esse, ubi non adest duratio. & Canon ille intelligendus est de Genere ad certam speciem jam tum adstricto e.g. animal ab homine non potest separari, à quo etiam non realiter differe dicitur omnium Logicorum suffragio, non obstante, quod homo differat ab animali quod identificatum est cum equo. Sic existentia idem est cum duratione, non prout existentia inest instantaneae existentiae, & ad eam restricta est. Sed quatenus ad durationem, tanquam ad speciem per permanentiam contrahitur, & sic cum ea est realiter idem.

Th. 19. Antequam ad reliquorum argumentorum solutionem nos conferam, unum atq; alterum ex anteced. praemonere juvat, nempe quod hic loci sermo sit de duratione abstractivè; cras, heri &c. dicuntur conditiones differentiales temporis. Deinde revocandū hinc in memoriam, denominationes illas externas, ut quando aliquid dicitur hesternum, hodiernum, crastinum non pertinere ad durationem formaliter, sed aliquid dicitur heri durasse, quando intelligitur & consideratur, quod motui solis heri supra horizontem commorantis coexistiterit, hodiernum aliquid dicitur, quatenus hodiè illi coexistere concipitur &c. Potest enim aliquid durare duratione propriè sumta i. e. esse suum retinere, etiam si Solis motus & denominationes illae re-